ens eis et dicens. In viam gentium ne abieritis. et in
ciuitatem samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite
ad oues que perierunt domus israel. Et cetera. Omelia gregorii pape de eadem.
Cum constet omnibus fratres karissimi quod redemptor noster in mundum
pro redemptione gentium uenerit. cum samaritanos coti-
die ad fidem uocari conspiciamus: quid est quod in predicatione
discipulos suos mittens dicit. in uiam gentium ne abi-
eritis et in ciuitatem samaritanorum ne intraueritis. sed
potius ite ad oues que perierunt domus israel. R. Isti sunt uiri
sancti quos elegit dominus in caritate non ficta et dedit illis gloriam sempiternam
quorum doctrina fulget ecclesia ut sol et luna. V. Sancti per fidem uicerunt
regna operati sunt iustitiam. Quorum. Lectio ii. Quid utique hoc
est nisi quod ex facti fine colligimus. quia prius soli iudee uo-
luit et postmodum cunctis gentibus predicari. ut dum il-
la uocata renueret. predicatores sancti ad uocationem
gentium per ordinem uenirent. quatenus predicatio nostri re-
demptoris a propriis repulsa gentium populos quasi extraneos
quereret. et quod iudeis fiebat in testimonium. hoc gentibus
esset incrementum. R. Fuerunt sine querela ante dominum et
ab inuicem non sunt separati calicem domini biberunt et amici dei fac-
ti sunt. V. Tradiderunt corpora sua ad supplicia propter deum coronari
et acceperunt palmam. Calicem. Lectio iii. Erant enim tunc
qui de iudea uocandi erant: et de gentibus qui uocandi
non erant. Legimus in actibus apostolorum predicante petro.
et prius hebreorum tria milia et postea quinque milia cre-
didisse. et cum predicare apud gentiles in asia uolu-

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/131, Fol. [2]r – Missal
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-w5sv/6761/56643)